

rum virorum dissonantiam, & D. Chladenii à vero fundamento aberrationem? videtur adscribendum esse ipsiusmet hujus methodi indoli. Nempe vi hujus methodi tot nova semper, ac nova themata ex abrupto inferuntur, ut *connexio* eorum cum principiis *difficillime* deprehendatur etiam à doctis, ab attentis, & à methodi peritis, qualis est D. Chladius. Si hoc contingit methodi hujus magistro & tutori, quid non evenire debet tyronibus, aut minus doctis, aut minus attentis, aut iis, qui methodi hujus implicatæ usum non cum lacte fuxerunt, sicut D. Chladius?

20. Secundo: allegationes illæ paragraphorum, quæ videntur inventæ ad facilitatem methodo conciliandam, ut obvium sit in probationes & fundamenta indagare; hæ ipsæ allegationes ob numerum suum & assiduum occursum implicat animum *etiam doctorum*, & confundunt; sicut omnes aliæ nimis crebræ admonitiones quemlibet hominem confundunt, eique spatium respirandi ac semet intuendi eximunt. Si hæc doctis & methodi expertis, ut D. Chladius, quid non potest contingere rudioribus?

21. Tertio: in hac methodo themata & fundamentales propositiones multæ ita seruntur passim, ut non admoneatur studiosus, quodnam ex quonam sequatur, quodnam sit pro fundamento positum. Deest illa distributio, de qua supra Capite Sexto hujus Diatribes egimus, & cap. III. Probatione V. Objicitur enim studioso velut nodus Gordius pluribus inter se vinculis constrictus *celantibus nexus*, ut Curtius de eodem nodo Gordio pulcre loquitur. Objicitur studiosa catena ex multis annulis inter se similibus, quorum quis decimus, quis centesimus sit, nemo secure dicet, nisi, qui semper à primo annulo aut saltem à propiore aliquo incipit. Cumque in hac methodo difficultatem ingenue fatetur D. Rothfischerus, methodi hujus apprime peritus, qui in allegatæ pulchræ sane epistolæ §. 3. pag. 21. Scribit, “ non esse usitatum, ut
“ in definitione voces jam in
“ prioribus definitas continente,
“ semper allegentur priores paragraphi. Nec ipsum methodi magistrum D. Wolffium id
“ folere Attento lectori incumbere, ideas antecedentium vocum clare in animo retinere,
“ atque *totum ex ordine legere*,
“ si velit *nexum perspicere*. Hoc
“ enim

“ enim neglecto lectori idem eventurum, quod illi qui Euclidem in medio opere incipiens legere, sperat se profecturum aliquid, si citationes ibi factas consulat. Sæpe occultam suboriri complacentiam, si menti ipsi aliquid inveniendum relinquatur. *Stellas in celo* habere suum ordinem, eodemque modo *arbores in silva*, & *guttas in pluvia*, sed DEum haud nobis manifestasse hunc ordinem, eumque à natura occultatum esse ad indagandum. Hæc vir Methodi Wolffianæ ex ipso Wolffiani D. Chladenii judicio, firmiter peritus, & meo judicio præ multis Wolffianis peritus. Magnopere igitur in mea opinione confirmor, Methodum Wolffianam revera ea difficultate, implexione, ac incertitudine laborare, quam hac diatribe palpandam dare volui. Si ego solus de hac methodo id dicerem, forte existimaret aliquis, me methodum eam aut non intelligere, aut non amare. Nunc vir & peritus illius & amans, alteri viro itidem perito & amanti loquitur, & easdem difficultates dicit. Dicit enim *ne sperari quidem posse*, ut *citationes adjuvent studiosum*, nisi *integro totum librum legat*: sicut hoc sperari in Euclide nequit.

Dicit, ordinem quidem in hac methodo esse, sed talem, qualis est in *guttis aquæ pluvia*: id est talis, qui *deprehendi non possit*, nisi *revelatione divina*, cum natura eum absconderit. Si multos ita ingenuos Wolffianos habemus, ut est ingenuus D. Rothfischer, magis sobrie de scientia, de demonstrationum rigore mathematico loquerentur multi, & minus esset seductionis per enonmia promissa periculum in doctrina morali.

22. His subjungo ea, quæ ab erudita quadam societate Lipsiensi inserta sunt scripto cuidam Periodico seu hebdomadario, quod vernaculo sermone titulum præfert: *HOMO, der Mensch*, cujus hominis verba & sententia plus ponderis habebunt apud heterodoxos. Sic inquit ille in sectione XVI. pag. 135. “ *Nimium olet scholam, & absolutus est PEDANTISMUS*, si *mathematica methodus tam stupendo in pretio habeatur, existimeturque, nihil recte cogitari sine hac posse*. Cicero, Plato, Aristoteles, Leibnitius omnium seculorum admiratio- ni erunt, tametsi rigorosa hac
M 2 “ me-

“ methodo * non conceperint
 “ cogitata. (Quam sit male
 “ rigorosa, nos supra conspicien-
 “ dum dedimus.) “ Admodum
 “ pauci homines ea sunt patien-
 “ tia, ut tractationem rigorosif-
 “ sima methodo ad nauseam us-
 “ que extensam perlegant. Cum-
 “ que sit scribendum etiam pro
 “ hominibus, qui in castris do-
 “ ctorum Sacramenta dicere no-
 “ lunt, mathematica methodo
 “ ad hos loqui, non foret mi-
 “ nus ridiculum, quam si vena-
 “ tor cum alio homine de vena-
 “ tione loquens iis omnibus co-
 “ gitandi dicendique modis ute-
 “ retur, quos intelligere tantum
 “ venatores possunt. Si in no-
 “ stro opere cœpissimus ab hac
 “ propositione: A & non A ni-
 “ hil est. Vel: Quodlibet est
 “ vel non est. Si per aliquot pa-
 “ ginas demonstrassemus, Homi-
 “ nem esse *aliquid*, quod non
 “ habeat simul esse & non esse.
 “ Si in quævis momenta allegas-
 “ semus Metaphysicam, Jus na-
 “ turæ &c. Si singulas deductio-
 “ nes finissemus his vocabulis
 “ Q. E. D. *quod erat demonstra-
 “ dum*, laudem meruissemus à
 “ famosis *servis* rigidæ methodi.
 “ Verum eam laudem averfamur.
 “ &c. Nec foret nobis difficile

“ unumquodque argumentum no-
 “ stræ scriptionis methodo ma-
 “ thematicam deducere, & folium
 “ quodvis in duodena extende-
 “ re “. Hæc ille de absoluto *Pe-
 “ dantismo methodi Wolffianæ*, in
 “ quem incidunt admiratores novo-
 “ rum, veterum fastidiosi illi, de
 “ quibus in ingressu alterius opel-
 “ læ nobis sermo erit, nempe in
 “ *Hypodigmate politico*, Eos, qui
 “ rationem solam pro principio Ju-
 “ ris naturæ agnoscendi statuunt,
 “ tendere ad everisionem Status, Rei-
 “ publicæ, Magistratum.

23. Jamque hæc folia typis ex-
 “ scribenda locaveram, cum in ma-
 “ nus meas incidit libellus Gallicus
 “ nominatissimi inter heterodoxos
 “ Logici, nimirum Domini Crusæ,
 “ (*Croufaz*) hoc titulo: *Observa-
 “ tions Critiques sur L'Abregé de
 “ la Logique de Monf. Wolff. par
 “ Mr. de Croufaz à Geneve chez
 “ Goffe. 1744.*

Bona lectoris venia exscribam
 “ aliquot locos Crusæ in eorū gra-
 “ tiam, qui Gallica lingua non ut-
 “ untur. Exscribam autem judicia
 “ Crusæ de Methodo Wolffii: his-
 “ que addam pauca ejusdemmet ju-
 “ dicia de Logica Wolffii, quam vi-
 “ deo adhuc aliquibus in pretio esse,
 “ non

* Sic dicere placuit Wolffianam illam.

non peritis illis quidem (fidenter
 “ dico) sed ob imperitiam ipsam
 “ novarum rerum cupidis: quas
 “ nacti laudant, qualescunque sint,
 “ etiam non intellectas, ut certe
 “ vidi aliquos juvenulos nequam
 “ intelligere Logicam Wolffianam
 “ (forte ipsi Wolffio non intelle-
 “ ctam) eandemque nihilominus
 “ laudibus extollere.

Observatione ad Articulum
 “ tertium Wolffianum in discursu
 “ præliminari sic habet Crusæ: “Po-
 “ testne quisquam inducere me-
 “ thodum efficaciorē hac ad in-
 “ generandam menti confusio-
 “ nem?”

Observatione ad articulum
 “ quartum ait: “ D. Wolffius tale
 “ in mentes discipulorum obti-
 “ nuit dominium, ut libenter
 “ ipsi admittant frequentes suas
 “ citationes, quæ tamen valde
 “ propinquæ sunt *Circulis vitiosis*
 “ ita dictis. Logica destinata est
 “ ad complanandam viam aliis
 “ scientiis. D. Wolffius scribit
 “ compendium Logicæ, in quo
 “ ad ostendendam potestatem
 “ suam principia pro lubitu po-
 “ nendi, remittit discipulum ad
 “ suam *metaphysicam*. Si hanc
 “ in loco citato consuluerit di-
 “ cipulus, ibi reperiet alias ci-
 “ tationes. Hæc securissima via

“ est ad obligandos lectores suos,
 “ ut omnia opera à Wolffio edi-
 “ ta sibi comparent. Certe hoc
 “ modo opera Wolffii typogra-
 “ phis & bibliopolis longe uti-
 “ liora sunt quam cujuscunque
 “ alterius auctoris.

Pag. 50. dicit Crusæ. “ Novi
 “ hominem, qui eloquentiæ fa-
 “ cræ tyroni cuidam consulebat
 “ uti Logica Wolffiana, multum
 “ profutura ad fecunditatem &
 “ ordinem menti conciliandam.
 “ Mihi id videtur admodum an-
 “ cept. Ad summum non alia hinc
 “ nascetur fecunditas quam blat-
 “ teronum, qui sine delectu quæ-
 “ libet effundunt, nulla alia con-
 “ nexione, quam centies repe-
 “ tito illo: *A propos.*

Pag. 53. ad Articulum præli-
 “ minarem XIV. ita Crusæ: “ Sub
 “ magno nomine *Ontologia* nihil
 “ reperies latere, nisi inutilita-
 “ tes: & sub magnis nominibus
 “ & inusitatis quærens aliquem
 “ sensum, mire fatigaberis; is
 “ enim sensus evolutus & expli-
 “ catus se reducit ad nihilum;
 “ aut certe nihil aliud tibi repræ-
 “ sentat, quam quod jam ante
 “ probe sciveras.

Pag. 54. ad Articulum prælimi-
 “ narem XV. inquit Crusæ: “ Quam
 “ M 3 “ pro-

“ procul à felici illo spiritu Geo-
 “ metrico (qui ordinem maxime
 “ ac methodum tenet) abfuerit
 “ Wolffius , statim cognosces ,
 “ siquem ejus librum legeris ,
 “ præcipue autem ejus Logicam.
 “ Quamlibet scientiam tractare
 “ per Definitiones , Axiomata ,
 “ Theoremata , Problemata , Co-
 “ rollaria , Scholia , hoc de se
 “ nihil est aliud quam superfi-
 “ ciam & Corticem Geometriæ
 “ sectari : maxime cum ita cæcus
 “ est quispiam , ut non videat
 “ hac ratione , se non compendia
 “ scientiis facere , sed immanes
 “ circuitus.

Pag. 63. ad Capitis Primi Arti-
 culum sextum subdit Crusa : “ Ni-
 “ hil potest legi obscurius & im-
 “ plicatum magis quam quæstio
 “ de origine idearum , ut illam
 “ D. Wolffius exposuit. Atque
 “ hæc sola pagina libri argumen-
 “ tum est certissimum , Wolffio
 “ parum cognitum fuisse inge-
 “ nium Geometricum , longeque
 “ illum ab ejus usu & consuetu-
 “ dine abfuisse.

Pag. 70. ad Articulum VIII.
 Capitis primi ita Crusa observat :
 “ Deceptionis & inversi ordinis
 “ adeo amans est D. Wolffius ,
 “ ut nullo amplius hujus rei fen-
 “ su tangatur. Nisi tempus præ-

“ tiosum esset , & si fas esset al-
 “ quot septimanas perdi facere
 “ ab aliquo tyrone meæ curæ
 “ commendato , facerem ipsum
 “ percurrere omnes paragraphos ,
 “ quos Wolffius allegat. Hoc
 “ quidem malum esset pro tyro-
 “ ne meo : Sed grande hinc pos-
 “ set oriri bonum pro permultis
 “ aliis , qui hac experientia (stul-
 “ torum magistra) convinci pos-
 “ sent , quam cæco impetu juve-
 “ nes obsequantur hortationibus
 “ quorundam *pedantum* : nimirum
 “ qui D. Wolffii Logicam & me-
 “ thodum commendaverant.

Pag. 80. ad Articulum XIV.
 Capitis primi Crusa subjungit :
 “ Si quis ex me petat exempla
 “ *idearum confusarum* , paratum ha-
 “ beo responsum : Logica Wolf-
 “ fiana harum est plena. Sed
 “ quomodo possibile fuit , inge-
 “ nium hujus auctoris tam im-
 “ pense assuesfactum esse confusis
 “ ideis ? Fieri hoc nullatenus
 “ potest , nisi cum Wolffio à te-
 “ neris assuescas confusio. In
 “ universum confusio nascitur ex
 “ defectu ordinis , defectus ; au-
 “ tem hic in hoc auctore cuilibet
 “ est palpabilis.

Pag. 116. ad Articulum XXX.
 ait Crusa : “ D. Wolffius pergit
 “ idem semper peccatum pecca-
 “ re ,

“ re , nimirum ut remittat studio-
 “ sum à suis Logicæ elementis ad
 “ numerosa sua volumina.

Pag. 122. ad Articulum XXXIV.
 ita censet Crusa : “ Hic Artic-
 “ lus aptissimus est ad creandam
 “ ex Logica nauseam , quis non
 “ metuat illi studere , si illa ma-
 “ gnis ambagibus deducat ad con-
 “ clusiones , quæ duobus verbis
 “ decerni possunt ?

Pag. 127. ad Articulum XXXV.
 “ Diu est , quod animadverto ,
 “ & in omnibus prope paginis
 “ iterum commonesco , D. Wolf-
 “ fium possidere admirabile hoc
 “ arcanum , ut per longos an-
 “ fractus supencilio scientifico ela-
 “ tus demonstret id , quod sen-
 “ sus communis neminem permit-
 “ tit ignorare.

Pag. 130. ad Articulum XXXIX.
 “ Suppono aliquem Professore
 “ Wolffio devotum ejusque me-
 “ thodo ; suppono ipsum longo
 “ studio familiaria sibi fecisse ope-
 “ ra Wolffii , ita ut ea in succum
 “ & sanguinem suum verterit ;
 “ suppono etiam ipsum esse ho-
 “ nestum , quique credat , in con-
 “ scientia esse se obstrictum , ad
 “ explicandum | suis discipulis to-
 “ tum hunc magni momenti Ar-
 “ ticulum , cum omnibus Wolf-
 “ fii remissionibus ad meliorem

“ intelligentiam adductis ; his po-
 “ fitis valde hæreo , num hic ma-
 “ gister exsequi propositum suum
 “ possit minus quam sex integris
 “ lectionibus Scholæ. Quod si
 “ autem , ut Wolffius præcipit ,
 “ hæc lectiones etiam altera vice
 “ repetendæ erunt , metuo ne ad
 “ curriculum unum Logicæ anni
 “ sex integri non sufficiant.

Sed jam me quoque tædet etiam
 Crusæ judicia ultra exscribere.
 Neque hæc ipsa recensui eò , quo
 traducere D. Wolffium , sed quo
 fieret manifestum , me non solum
 esse , cui Wolffiana methodus &
 ridicula videatur & noxia.

Et fortasse posset aliquis suspi-
 cari , religionis odio me adductum
 fuisse ad methodum etiam ac sci-
 entias heterodoxorum parvi pen-
 dendas. Crusa heterodoxus cum
 sit , eadem tamen de Wolffii me-
 thodo sentit.

Nihilominus & Crusam & me
 religionis cura tenuit in Wolffiana
 methodo vituperanda. Crusa
 quidem vidit , Wolffii stratagemata
 tendere ad liberum arbitrium
 evertendum , absque quo religio
 periclitatur.

Ego vero maxime persequar fa-
 ctum multorum heterodoxorum ,
 qui methodo huic pessime scien-
 tificæ

tificæ confisi non erubescant passim jactare, apud ipsos solos videre veram scientiam, suos errores demonstratos esse ac demonstrari solos posse; atque adeo sanam rationem ac Jus naturæ in ipsorum tantum erroribus consistere: contra Catholicos omnes, & quidquid Catholicum est, esse sanæ rationi atque adeo Juri naturæ adversum, adeo ut D. Chladenium Erlangensem non puduerit nuper dicere, Catholicum dogma impossibile esse scientificè tractare, hoc est ad sanam rationem reducere.

Quamobrem volui ostendere, vana esse hæc terriculamenta, fal-

Ad Te vero jam tandem EMINENTISSIME PATER ANGELE MARIA QUERINI! qui Mathematicum in adyta hætenus penetraisti, ut juvenis etiam Principis Mathematicorum problema ad tribunal rectè evocares tuum, qui heterodoxos Germaniæ nostræ tanta cum gratia invitas, qui vicissim maximi, quod necesse est, tuam & doctrinam & eruditionem faciunt, ad Te, inquam, tuumque sapientissimum tribunal totam hanc de mathematica, vane, ut mihi videtur, dicta methodo depono. Quæ mihi visa sunt, cur Illustris Wolffii modus tractandi scientias nec methodus sit, nec scientifica, quin nec Mathematica, quemadmodum potui peroravi. Quoniam autem meo judicio stare superbum foret, hinc est, quod tuam sententiam efflagito. Neque metuo ut judicium tuum subterfugiant adversarii in re pertinente ad disciplinas, quarum in Te vim esse acerrimam facile omnes agnoscuat.

J. O. G. D.



lissimas heterodoxorum de scientia gloriationes, & hanc methodi scientificæ, vigorosæ, demonstrativæ, mathematicæ arcem ex araneorum telis esse concinnatam. Nisi errores suos demum alteri cuidam fundamento inædificaverint, quod quidem fieri nunquam poterit, sciant se ut hætenus ita deinceps quoque actum acturos.

Catholici autem quidam magnis de scientia heterodoxorum clamoribus forte seducti, perpendant & agnoscant oro, non omne quod splendēt esse aurum, & sæpe subesse multum clamoris parum lanæ.

SPIRITUS LEGUM

BELLUS, An & SOLIDUS? DISQUISITIO.

NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE.

I. Joan. IV. v. 1.

AUTHORE

P. ANSELMO DESING,
Benedictino Congregationis Bavaricæ,
Eminentissimi Cardinalis de Lamberg,
Episcopi & Principis Passaviensis &c.
Consiliario.

Cum Facultate Superiorum.

PEDEPONTI, vulgo Stadt am Hof bey Regenspurg.

Sumtibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ, 1752.